



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.6. Bonitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

DE AMORE DEI.

SE

rum pauperum exaudivit Dominus. (Psalm. 9.) Nam si de verbo otioso rationem exigit; & ille multò magis reddet de non otioso. *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. (Hebr. 6.) reddet unicuique juxta opera sua. (Psalm. 61.)*

Talis est, talis gratia Dei tui: & qualis illa mundi, non tui, sed sui; imò nec sui, nec tui? dic, amabo te, per quanta pericula curritur ad majus? quoties amittitur, etiam cum habetur? ægrè quæsita, ægrè retenta? & cui bono seu quæsita, seu retenta? Hic, hic omnes numerantur capilli; & si capilli; quantò magis capita? & si verba; quantò magis officia? ô incredibilem amoris facem! Habeo certaminis præsidem, habeo agonothetam, à quo coronantur etiam verba; etiam vota. *Et folium, inquit, ejus non defluet. [Psalm. 1.]* Folium dicit, non fructum. O te beatum! ô fortunatum agricolam, hæc si bona nôris! ô miserum, si negligis! ô improvidum, si terræ credis, & non Deo! audi querelam: *Protegitur mortalis à mortali; & securitas est: protegitur mortalis ab immortalis; & trepidatio est. (Augustinus.)*

§. 6. Bonitas.

Descendo ad primam horum omnium

C 2

cau-

causam; nempe naturam *prodigam sui*, tenacem tui. Perdit enim; ut acquirat: perdit se tibi; ut acquirat te sibi, eò collimans, ut hoc ipsum gratiâ simus, quod ille naturâ: felicitate communi, transformatione singulari, qualis explicabitur postea. Hinc nos ille cumulat impleretque bonis omnibus, tam sincero charitatis affectu, ut cum nihil speret à nobis, nihil etiam præsupponat in nobis. Est enim hoc discrimen inter Dei nostrumque amorem; quòd amor Dei suum ipse fabricet objectum, hic contra fabricatum integrumque supponat; ille accendat ignem, hic accendatur ab igne, ab accensòque foveatur. Quare non justos modò, sed peccatores etiam, & *ea quæ non sunt*, ambit: *qui cum inimici*, inquit, *essemus*, prodigos & reduces amplectitur, & fugitivos errantesque paternam revocat ad domum, non semel aut bis, sed *septuagies septies*, hoc est, semper; idque facilitate tantâ, sit ut difficile sit atuerè, uter amborum sit profusior, pater an filius. Postremò tanta pro nobis effecit, tantâque passus est, ut, quemadmodum sentit Thomas, existimari possit *homo Dei Deus*.

Hic in isto rursus incumbòque fugienti, hinc in clamo: quis, quid, cui? cogita Deum,

cogita reum, Deum, quo, ut audisti, nihil melius; reum, quo, ut nosti, nihil criminosius. O novum certaminis genus, in quo certant inter se amor & furor! quasi communi ludo, suum trudent uterque follem, & qualem, ô Superi, follem! *Quis sapiens intelliget ista? (Michæa 14.)* Versat hinc furor follem in carne tuâ Deum; versat hinc amor follem in crimine suo reum: ille crucifixum pellit in tartara; iste redivivum tollit in æthera. fit ex Deo reus inter latrones; & vicissim ictu reciproco fit ex reo Deus inter cælites. Quâ id arte? quâ cuncta vertuntur, amore. Quâ machinâ? quâ jam dixi, furore. Amor invênit, furor exhibuit: ille poëta, hic actor; tragœdia deus; tu corona. Proh fides! Ac ne quid fingi putes exaggerarive dicendo, audi disputantem apud Oseam (Capite xi.) amore patrono. Egone, inquit, ut ignoscam? Ego non incendio consumam, quali Sodomam, *Adamam*, ac *Seboim*, urbes Pentapoleos? imò *disperdam Ephraimum*. At id quâ ratione? Est ille meus, est Filii, est filius. *Conversum est in me cor meum; pariter conurbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ*, hoc est, pœnitet decreti; revoco sententiam. Ite, proferte citò stolam, date

annulum, occidite vitulum saginatum. Ecce proponit ut hostis, concludit ut pater; subjicitque causam: *quoniam Deus ego, & non homo*. Imò si taliter Deus; quid ille, cum erit homo? Et quid tu, o anima mea, cum jam sis Deus? ecquando occurret amor amanti? filia patri? & si vis, sponsa sponso? adultera, cui poma servas? cui te ipsam? cani? dico cani, quæ impudentior cane est? Quid? erit, ut apud Æthiopas, Imperator tibi canis? erit Deus? & eris apud Deum Æthiops Christianus? eris canis? & adhuc pejor: nam amat amantem canis & servat; tu prodis.

§. 7. *Immensitas Dei.*

Hactenus amoris utcumque digessi modum: do nunc IMMENSITATEM; tantam in puncto, quantam in toto; nec exclusam, nec inclusam; totam omnibus, totam singulis; distributam non divisam, datam non amissam. Nam neque moveri loco potest immutabilis, neque partiri impartibilis, neque abesse inexterminabilis: cum sit omnium prima natura, sive, ut loquuntur, entelechia, id est, actus primus, *causa causarum, ens entium*, sine quo minus existere valeas, quam suo sine corpore umbra. Ergò sparsam undique per omnes mundi plagas habeo Dei
men-